

RVBERTVS TVICIENSIS AEBAS.



RVbertus natione Germanus pietatis studio apud Traiectenses S. Laurentij monachus factus est. Ibi ex eo tempore quo cœnobium in sua iuuētute ingressus fuit, adeo sese in S. scripturis exercuit, ut nec dormiens quidem à meditatione il la uideretur posse quiescere. nam lingua et labia eius quasi legendo semper mouebantur. Vnde factum ut in sacris literis mirabilē cognitionem adeptus, ab omnibus eruditissimus eius regionis homo aestimaretur. Hac fama permotus Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, eum ex illo cœnobia sumptum, monasterij Tuiciensis iuxta Coloniā Agrippinam Abbatem constituit. Ibi uerbo & exemplo suos subditos ad studia sacrarum literarum & pia opera adhortatus est. Scripsit is in omnes ferè libros ueteris & noui testamenti commentarios. præterea ad Cunonem Episcopum Ratisbonensem insigne opus, de uictoria uerbi Dei, quod in tredecim libros digessit. Floruit sub Heinrico quinto Imperatore, anno millesimo centesimo uicesimo, Trit.